

VIRI PRAENOBILISSIME atque EXCELLENTISSIME
FAVOR et AMICE magna observantia
colende.

Mirifice me litterae Tuae recrearunt, allatae in lectulo decumbenti, et conflictanti cum morbo: quia, quod dudum optaveram, aditum aperiebant, ad amicitiam viri, quem in primis suspicio, et cuius in praestantissimis litteris exquisitam eruditionem ex tot egregiis cognoveram monumentis, cuius praeter ea humanitatem Hebensteitius meus praedicare satis non potest; cum quo denique iam vinculo aliquo, mihi iucundissimo, coniunctus sum. Sed hic ipse morbus, ex quo nondum satis con-

ualui, impedimento fuit, quo minus, quod mei erat officii, ma-
 turius respondere possem. Dabis, pro aequitate ILLA, veniam,
 et conceptam animo de me sententiam, tarditate mea adductis,
 non mutabis. Faciam in posterum eo maiore studio, quod amicum
 decet, et nulla in re patiar, TE operam meam desperare posse.
 Ad ea, quae scire cupis, academiae nostrae Syndicus Siegelius
 respondit, et qui successit in eius locum, Herzelius, si quid
 effici ea in re velis, Illi non deerit. Mihi contingere optabilis
 nihil poterit, quam si TE saluum sospitemque et in grauissimo, quod
 suscepisti, munere, sine odio et inuidia, cumulatum bonis, et
 prospero beatorum operis successu sciam. Idque est, quod ex animo ad-
 precor omni obseruantia futuris

III

Lipsiae prid. Kal.
 Octobr. A. R. G.
 1755 CC LIII.

Studiosissimus
 Io. Christian Stemler, D.

à Monsieur
Monsieur Crusius, Profes-
seur public ordinaire de l'Academie de Wit-
tenberg
Franco. Wittenberg